Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 25
Quelle:
Copyright:

beti ordinem interpretatio, cujus litera capitalis D. nobis *Hieronymum* Monachi habitu objicit. Codicem sic terminat Librarius:

Finito libro sit laus et gloria Christo.

Locum eum in Bibliotheca sacra omnino mereri, fuisseque olim hominis Itali κτημα censemus; ad finem enim L. I. *Machab.* ita dialecto Veneta scriptum habetur: *Qui se faczano due homini che giostreno.* Neglexit tamen mandatum Pictor.

XVII. VII B 4.

81 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 424. f. per duas columnas probe exaratus, Librorumque initiis deauratis, picturatisque, propter quae tamen ab improbo homuncione exectionem hinc inde passus est, continet *Sacra Biblia ex interpretatione vulgata U. T.* cum *Prologis Hieronymianis. Genesis*, *Exodus* et *Leviticus* primo folio mulctantur. Libri itidem *Josue*, *Judicum* et *Ruth. Paralipomenon* I. librarii errore inscriptus est *secundus.* Ita et *Esdrae* III. ob praecedentem *Nehemiae* Librum *secundus* adpellatur. *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job* integra sunt. Ad calcem *Psalterii* legitur: *Expliciunt psalmi dauid uel spiritus almi.* Sequuntur opuscula *Salomonis*, item *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Prophetae*, et *Jeremias* quidem fine, *Baruch* initio mutilus. *Minores* consuetis *Summariis* instructi sunt. Liber II. *Machab.* rursus fine, et *Matthaei* Evangelium principio caret. *Evangelia* excipiunt *Epistolae Paulinae* cum suis *Argumentis*, *Actus Apostolorum*, *Canonicae Jacobi*, *Petri*, *Johannis*, *Judae. Job.* I. c. 5. testimonio terrestri haec verba desunt: *et hi tres unum sunt. Apocalypsis* a medio C. 21. deficit.

XVIII. VIII A 17

Codex membraneus lat. Sec. 51
XV. Folior. nunc 367. f. per duas columnas charactere mediocri, crasso exaratus, literisque initialibus pictis, exhibet *Biblia V. et N. T. ex interpretatione vulgata* a quodam, qui *Job. Hussi* placita sectabatur, ut videtur, perscripta. *Fol.* 1. p. 2. docetur, quaenam S. Scripturae partes per annum in divinis officiis legantur hac rubrica: *Hij sunt libri autentici. et hij in diuinis officiis legendi.* Singulis libris adscribitur autor, idque sat confidenter. Sequitur *monitum* ad lectorem de notis criticis, quae compluribus horum Bibliorum locis et verbis adpositae sunt, quod incipit: *Quoniam super omnes scripturas uerba sacri eloquii necesse est, ut in fundamento veritatis firmiter innitantur* &c. Monitum excipiunt VII. *Ticonii* vel Tychonii hominis Afri Donatistae *Regulae* de explicatione S. Scripturae totidem hexametris inclusae, quae cum in